DISSERTATIO PHYSICA

INAUGURALIS,

DE

HOMINUM VARIETATIBUS.

DISSERTATIO PHYSICA
INAUGURALIS,
DE
HOMINUM VARIETATIBUS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti:

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES TAYLOR,

VIRGINIENSIS.

Quidquid praecipies, esto brevis: ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.——HOR.

VIII. Calendas Julias, hor. loc. sol.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO, APUD ALEX. SMELLIE.

1806.

4

JOANNI TAYLOR,

ARMIGERO,

PATRI OPTIMO,

SUMMA PIETATE,

ANIMOQUE GRATO,

D. D. C.QUE

FILIUS,

JOANNES TAYLOR.

VIRO EXIMIO

J. MONROE,

VIRGINIENSI,

LEGATO AMERICANO

LONDINI,

HOCCE OPUSCULUM,

BENEFICII IN EUM COLLATI

MEMOR, OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO PHYSICA

INAUGURALIS

DE

HOMINUM VARIETATIBUS.



INTER animalia, quae orbem terrae incolunt, gens humana in nulla regione hoſpes, ſola forſan oras maxime remotas impune adit.

Nullam fere eſſe terrae plagam, utcunque ſede et caelo diverſam, incolis orbatam, peregrinantes uno fere ore conſentiunt. In hocce opuſculo hujus cauſas anquirere conſilium eſt, et qua decet diffidentia ſtatuere, an homines ex diverſa

ſtirpe

ſtirpe progeniem ducant, vel principium generis humani ex uno genitore repetendum ſit, et hac lege procreati ſint, ut partibus terrae maxime diverſis ſemet aſſuefaciant.

Quaedam generalia huic propoſito haud aliena primum obiter attingere liceat; poſtea ad formam, ſtaturam et colorem hominum breviter animum advertere; et denique quaedam agitare de animi dotibus et culturae effectibus lubet.

1mo, Ne varia animantium genera perirent, ab natura faecunda ſatis proviſum eſt, cupido enim ſimilium omnibus fere animalibus innata eſt, dum alia declinant.

Si ulla regula certa eſſet, quâ diverſae animalium ſpecies ab ſe mutuo accurate ſecernerentur, amplius progredi ſupervacuum foret, quippe hoc litem adimeret. Buffon ad propriam ſententiam tuendam, hujuſmodi regulam propoſuit, omnia nimirum animalia facultate ſui ſimilia gignendi praedita, quorum proles iiſdem viribus pollet,

ad

ad idem genus esse releganda ſtrenue contendit *. Buffon autem ipſe quaedam in alia parte operis inopinanter protulit, quae huic opinioni adverſantur, etſi enim ovem et caprum ad diverſa genera retulit, concedit nihilominus prolem ex his procreatam eadem vi genitali gaudere. Et sane, etſi res ſe ita non haberet, argumentum ex aliis animantibus petitum, homini non indubitanter conveniret.

Dr Hunter in ſua diſſertatione hanc regulam amplexus eſt, quae, ut ex ſupradictis patet, fundamento parum firmo innititur. Et ſane huic ſententiae ſi ulla eſſet fides, homines ex communi ſtirpe eſſe prognatos plane ſequitur.

Hac igitur regula poſthabita, nos aliam et minus dubiam proferre non poſſe, dolendum eſt; nulla autem certa hujuſmodi regula nobis ſuppetit, et judicium de hoc propoſito, non ex una

vel

* Octavo Edit. vol. 8. p. 104.

vel altera re, ſeorſim perpenſa, ſed ex multis ſimul collatis ferendum eſt; ad ſecundam igitur hujus diſſertatiunculae partem nunc devenimus.

DE HOMINUM FORMA, STATURA, ET COLORE.

Homines, quod ad hos attinet, tantum a ſe mutuo diſcrepant, ut omnes oris et artuum varietates ſigillatim exequi, et varias mutationes ex coeli regione et ex aliis cauſis provenientes perpendere, limites hujusmodi tentaminum ſolitos multum exſuperaret.

Differentia cujuſvis partis, ſeorſim examini ſubjecta, ſaepe non tam manifeſta eſt; cum omnes autem ſimul conſpiciuntur, diſcrimen inſigne elucet.

Si ex facie admodum diverſa quam homines diverſi exhibent, aliquid de ortu colligere fas, eos haud minus quam canes ſpecie differre contendere

tendere aequum eſt. Nec ſane diſcrimen magis notabile intercedit inter moloſſum et canem venaticum quam quod inter Britannum et Æthiopem, Lapponienſem et Danum obſervare liceat.

Plantae ſpeciem admodum variam oſtendunt, ſecundum terrae regionem qua pubeſcunt, quo melius forſan nutrimentum homini praebeant; et incolas cujuſvis regionis non omnibus aeque eſſe aptatos neminem latet.

Statura hominum ex coelo, diaeta, et exercitio maxime pendet.

Tartari in univerſum exiguae ſtaturae ſunt, et eorum capita magna pro rata corporis magnitudine; humeros quoque rotundos, collum breve, et genas latas et prominentes habent; et hae notae magis conſpicuae fiunt, prout polo magis finitimi ſunt, cujus exemplum Lappiani, Borandani, et Samoides praebent.

Genus hominum qui Lappianos referunt in America circa ora frigida ſinus Hudſoni degentes

tes obſervatur, quâ terrae regione, ſi Siberiam excipias, nulla frigidior eſt. Incolae hujus loci quatuor vel quinque pedes longitudine non ſuperant, et capite amplo, oculis et pedibus admodum parvis, inſigniuntur. Etſi hi effectus, ex frigore maxime intenſo, et ex vita rudi et inculta aliquatenus pendent, res certe minus difficilis explicatu erit, ſi diverſa eſſe hòminum genera ponamus.

Si autem coelum ſub quo homines degunt, ullum imperium exercet, color maxime affici debet, et huic maxime immoratur Buffon; haec ſunt verba ejus, "Man, white in Europe, black in Africa, "yellow in Aſia, red in America, is, notwith- "ſtanding, the ſame animal, having different "colours, produced by different climates*." Hoc autem nequaquam in omnibus exemplis obtinet, Samoides enim, Lappiani, et Greenlandici colore pallent, et incolae Æthiopiae inferioris, coloris fuſci ſunt, etſi regionem ſole aeque fervido calentem ac Æthiopes nigri tenent. Buffon ſententiae

* Lib. v.

tentiae maxime tenax, gradus frigoris et caloris extremos eoſdem effectus in colorem edere affirmat.

Incolae Americae colorem cupreum omnes exhibent, etſi in hac regione, quae latiſſime patet, coelum maxime variat, et quaedam partes ſolis ardore peruſtae ſunt, dum aliae frigore acerbiſſimo conſtringuntur.

Norvegienses Septentrionales terram aeque frigidam ac Samoedes, Lappiani, et Greenlandici incolunt, colorem autem candidiorem, quam alii Europaei habent. An credendum eſt, ſecundum eos, qui colorem diverſum ex effectibus ſolis repetunt, mutationem ex hoc fonte derivatam tradi liberis, qui nunquam ſolem conſpexerunt? Nigrorum nati parentes colore fere referunt, ſaltem nullum diſcrimen notatu dignum intercedit. Raynal in opere ejus eximio affirmat, progeniem Africanorum, in America procreatam, quam parentes, non tam ſaturate nigreſcere; in errore

autem

autem verſatur, poſt plura enim ſecula, nulla hujusmodi mutatio obſervanda eſt.

Nonnulli auctores aſſeruerunt liberos nigrorum recenter natos colore albo inſigniri. Quid huic errori originem præbuerit, neſcio; ſunt quidam ex parentibus nigris orti, et etiam adulti, quorum color ſubalbidus eſt; hoc autem ex albis cum nigris connubio commiſtis pendere videtur; nec magis apparet colorem nigrum ex corpore veſtibus induto imminui.

Quidam opinantur homines in regionibus calidioribus degentes colore nigro infici, quo melius ardorem nimium ſolis ſuſtineant; hoc autem nequaquam veriſimile eſt, etſi enim ſuperficies atra plures caloris radios emittere comperta eſt, ut ex periculis a Dom. Leslie perite inſtitutis conſtat; calorem quoque avidius abſorbere invenitur, et nulla eſt ratio cur credamus hunc illi cedere, et ſane ſi abſorptio emiſſionem exſuperat, haec nigrities cutis calorem potius adaugeret.

Figura

Figura capitis in Æthiopibus ſpatium intermedium tenet inter caput Europaeorum et Orang-Outang. Oſſa quoque intermaxillaria, tempore aetatis conſpicua, quando nulla horum veſtigia in Europaeis manent. Surae tenuiores et multo altiores, capilli lanei et retorti, craſſities labii ſuperioris, et odor cutis rancidus, quibus Æthiopes ab aliis diſcernuntur, hos ad diverſum hominum genus pertinere fortiter ſuadent.

Color corporis ſedem habet in illa cutis parte quae rete mucoſum nuncupatur. De hoc certamen fuit inter anatomicos, donec Malpighi, Medicus Italicus cutem in tres laminas eſſe diviſam demonſtravit, nimirum in cuticulam, cutem veram et ſubſtantiam his interjectam, cui nomen rete mucoſum indidit; hoc cuticulae tam firmiter adhaerebat, ut anatomici antiquiores duas ſolummodo fuiſſe laminas perſuaſum habuerunt; hoc comperto, ſedes coloris haud amplius latebat; cuticula enim ex rete mucoſo probe ſejuncta, fere pellucida eſt, et in hominibus nigerrimis, ex iis quibus color candidiſſimus eſt, minime diſ-

fert, et hinc, quoniam cutis vera in utrifque eadem eft, colorem ad rete mucofum relegare neceffe eft, quod quoque aliorum experientia comprobavit.

Omnes igitur caufae quae colorem mutare valent, ex modo quo rete mucofum afficiant, effectus fuos gignunt; et ideo anatomici hanc fubftantiam differre in hominibus, qui in diverfis coeli plagis degunt, comperti funt; hoc quoque coelum ad colorem mutandum aliquantum conferre docet, etfi difcriminis adeo infignis, quod inter nigros et albos homines intercedit, rationem fatis validam nequaquam reddere valet.

Gradus caloris frigorifve quod in quavis regione obtinet, caufa habenda eft cui corpus affidue obnoxium eft; hinc nervi nunc tenfi, nunc refoluti; nunc dilatati, nunc contracti habentur; fluida quoque corporis, prout excretio per cutem, et aliae fecretiones auctae vel imminutae fuerint, affici debent; cutis quoque ex delicata ejus textura viribus coeli et radiis folis

maxime

maxime objicitur, et forſan calore ex eo ſubducto afficitur.

Color autem ex vi ſolis ſuper cutem agente non omnino petendus eſt. Calor, praeſertim cum effluviis putridis conjunctus, quae in regionibus calidis et incultis maxime abundant, ſystema nervoſum haud parum reſolvit; hinc bilis liberius ſecerni videtur, quae per cutem diffuſa, colori fuſciori originem ex parte praebeat; ſaltem copiam bilis, pro gradu caloris, adaugeri, opinio invaluit *.

Et hic de lucis effectu in colore mutando, obiter advertere haud abs re foret; luce enim plantae multum afficiuntur, ut multa experimenta docuerunt; et hinc veriſimile fuit, et experimentis nunc probatur, eam in colore humano aliquantulum valere. Si lux ullum imperium exerceat ſuper colorem, rete mucoſum certe afficit. Hoc colorem album in Europae parte ſeptentrionali,

* Vide Dr M'Clurg on the Bile.

onali, cupreum in America, et nigrum in Æthiopia habet. Luce ſemper reti mucoſo Africanorum admota, forſan abſtrahitur oxygenium, et hoc abſtracto, carbonium manet, et hinc fortaſſe derivatur ex parte nigrities Africanorum. In America, lux non tam vivida eſt, ut in Africa, et oxygenium tanta copia non abſtrahitur, quare color incolis eſt cupreus. Obſervatur etiam eas corporis partes, quae veſtimentis induuntur, magis albidas eſſe, quam quae luci exponuntur. Foeminae quoque albidiores ſunt quam homines, quippe minus aeri objiciuntur. Rete mucoſum, oxygenio admoto, magis album evadit. Sulphuretum potaſſae cuti applicatum, ei colorem nigrum impertit. Dr Beddoes narrat digitos nigros albidos fieri acido muriatico, oxygenii parva quantitate cum rete mucoſo conjuncta.

Ex piſcibus quoque et ex aliis animantibus, lucem ad colorem corporis humani mutandum nonnihil efferre colligere liceat.

Sed

Sed certe color non omnino tribuendus eſt lucis effectibus, quippe color humanus in diverſis terrae partibus non variat, prout lux magis vel minus vivida fuerit.

Homines qui ex regionibus frigidis ad calidiores migrarunt, fere ſemper malis bilioſis tentantur, quae forſan ad vires naturae medicatas, quibus corpus melius aptatur coelo, referenda ſunt; et ſane ſi aliquid ex morbis colligere fas eſt, bilem ex Ictero inveterato vel melancholia redundantem, cutem colore ad nigrum vergente deturpare optime innotuit; hinc bilem aliquid ad colorem nigreſcentem conferre, concludere aequum eſt.

DE

DE ANIMI DOTIBUS.

Facultates animi in diverſis hominibus haud ſecus ac corporis formam differre, nemo non agnoſcit. Peregrinos odio proſequi, generi humano fere commune eſt. Inter gentes barbaras, quarum motus animi indomiti, rationi haud obtemperant, ira et indignatio crudele imperium exercent; hoc autem non omnibus barbaris proprium eſt; ſunt enim quidam, ingenio adeo miti a natura comparati, ut vitam humanitate exornent. Horum exempla tam bene nota ſunt, ut ea recenſere haud neceſſarium eſt.

Mores autem hominum Aboriginum, qui in Inſulis habitant, et qui vitam ab aliis ſegregatam degunt, maxime ſpectandi ſunt.

Sunt quaedam Inſulae, Novae Guineae proximae, quarum incolae impavidi ſunt, truces, fer-

ro metuendi, et peregrinis inimici, qui ad ſua littora ſorte iniqua acti ſunt.

Benignum hoſpitium, quo nonnullae gentes advenas excipiunt, quippe infrequens, attentionem jure vindicat. In Inſula, Amſtelodamum dicta, in Oceano Auſtrali, Indigenae Batavos quoſdam ad ſuas ſedes advectos ſumma comitate excipiebant. In quibuſdam Inſulis parvis Otaheitae ſinitimis, habitatores peregrinis amiciſſimi fuere, nec ulla irae vel ſuſpicionis indicia prodiderunt. Cum autem gentes hujuſmodi advenas plerumque odio et inimicitia proſequuntur, cui haec exceptio ex lege generali tribuenda eſt? Haec certa ſuavitas vel iis innata eſt, vel culturae debetur; huic non tribui poteſt, quae mores hujusmodi potius ſervat, quam iis originem praebet. Quaſdam igitur gentes ita a natura comparatas eſſe fateri cogimur.

Quo hoc plenius eluceat, ad quoſdam homines naturâ vel timidos vel animoſos reſpicere liceat. Qui Scandinaviam incolunt, impigri, aciem in-

ſtruere

ſtruere et bello contendere amant, nec mortem adire reformidant, quippe animis penitus inſederit opinio, ſe ad regiones felices migrare, cum e vita deceſſerint; ſic enim Lucanus habet.

Vobis auctoribus umbrae,
Non tacitas Erebi ſedes, Ditiſque profundi
Pallida regna petunt, regit idem ſpiritus artus
Orbe alio, longae (canities ſi cognita) vita
Mors media eſt. Certe populi quos deſpicit Arctos
Felices errore ſuo, quos, ille timorum
Maximus haud urget, leti metus. Inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animaeque capaces
Mortis *.

Homines qui Malaccam et Inſulas vicinas occupant, prae omnibus fere, truces et impavidi ſunt, etſi intra metas Solſtitiales degunt. Quidam barbari in America Septentrionali degentes, etſi in aliis fortitudine parum inſignes, doloris patientes ſunt, ultra quam cuivis credibile eſt, et acerbiſſimos

* Lib. 1. Cap. 2. de re militari.

biſſimos cruciatus pectore inconcuſſo et etiam ſine gemitu perferunt.

Innumera ſunt exempla hominum in Inſulis degentium, qui timidi et imbelles, alios homines, metu perterriti, evitant. Quo autem haec tendunt? Si aliquid ex iis colligere fas eſt, homines diverſam originem agnoſcere, deducere liceat.

Vegetius has varietates ad coeli effectus relegavit; affirmat enim, "Omnes nationes, quae vi-
" cinae ſunt ſoli, nimio calore ſiccatas amplius
" quidem ſapere, ſed minus habere ſanguinis di-
" cunt, ac propterea conſtantiam ac fiduciam co-
" minus non habere pugnandi, quia metuunt vul-
" nera, qui ſe exiguum ſanguinem habere nove-
" runt. Contra Septentrionales populi remoti a
" ſolis ardoribus inconſultiores quidem, ſed tamen
" largo ſanguine redundantes, ſunt ad bella
" promptiſſimi *." Coelum ſub quo homines de-

C gunt,

* Lib. 1. Cap. 2. de re militari.

gunt, non ſolum in colore, ſed etiam in animi indole permutanda haud parum valere, Vegetio affirmanti, facile accedimus; quantum autem valeat, pro certo ſtatuere difficile eſt, et ſane varietates adeo inſignes quae in diverſis gentibus obtinent, ex hac cauſa ſola profluere, nequaquam veriſimile eſt.

Si ad ſocietatem, genus vitae, diaetam nempe, veſtitus, habitationes, mores et conſuetudines, naturam Soli, ſcientiae ſtatum, religionem, et ad varias opiniones numero carentes reſpiciamus, quae ſigillatim ad ingenium mutandum aliquid conferre poſſunt; ex omnibus ſimul conjunctis, varietates maxime notabiles provenire poſſe confitendum eſt.

Cum orbem terrae longe lateque oculis perluſtramus, et omnes ejus partes, utcunque a caeteris ſejunctas, etiam inſulas longiſſimo intervallo ab Continente diſſitas, incolis minime eſſe deſtitutas invenimus; unde hae terrae partes primum colonos deduxerunt, ratio quaerenda eſt. Homines,

nes, qui has Infulas primum tenuere, vel iis proprii fuerunt, vel terra mutationes vix credendas fubiiffet, oportet. Navigationi minime tribuendum eft ; bene enim notuit, hujusmodi infulas habitari, longe antea ars navigandi ita provecta fit, ut homines tam immenfum aequor metiri auderent. Aquae et terrae alio modo partitis, ac hodie evenit, deberi non videtur, tales enim mutationes nunquam hifce temporibus obfervantur, etfi eaedem caufae naturales, ac olim, adeffe videntur. Quomodo, quaefo, Borneo, vel Nova Batavia, tam longo fpatio ab oris Africae diftans, incolas primum accepiffet, ni aborigines iis proprios fuiffe credamus.

Minime autem opinamur omnes gentes proprietatibus levibus folummodo infignitas, ad diverfum genus relegari debere ; et fane hominum varietates multo effe pauciores, quam hujus doctrinae fautoribus perfuafum eft, facile concederemus. Utcunque autem hoc erit, ex magno difcrimine quod inter diverfas gentes intercedit, fi

vel

vel colorem, vel ſtaturam, formam, doteſve animi perpendere velimus, ſententia, quae ponit homines communem ſtirpem nequaquam agnoſcere, maxime nobis arridet.

FINIS.